

Grunde des Evangelii und Sinnes Christi, einträchtig und friedlich bleiben können, wo man nur beyderseits einander wegen der andern Neben-Dinge, Ceremonien und Satzungen getragen, und nicht in der Christenheit so viel Secten und eigene Kirchen aufgerichtet hätte. Si autem ex eo quaeras, quale fundamentum Evangelii essentiale agnoscat, respondet, universa Scriptura, & fidei analogia reclamante l. c. c. VIII. §. 32. die Summa des wahren Evangelii bestehe in Ertödtung des alten und Erweckung des neuen Menschen. Sane, ut in his dictis Evangelium cum lege, fidei media cum fructibus nefarie confundit, ita in illis pessimos Episcopi Laodicensis mores Apoc. III, 15. 16. imitatur, qui in doctrina neque frigidus, neque fervidus, sed tepidus erat. Sectari quidem debemus pacem Rom. XII, 18. Ebr. XII, 14. sed εἰ δυνατόν τὸ ἐξ ὑμῶν, addit Paulus, cum igitur doctrinae puritas & sanctitas non a nostro arbitrio, sed verbi divini norma ac regula dependeat, pacem salva divina veritate amare debemus, & diligere veritatem ac pacem. Zach. VIII, 19. Ille ordinatus veritatis amor LVTHERVUM, aliosque Evangelii socios excitavit, ut non cum Ecclesia vera, quae hinc inde sub coetu illo superstizioso latebat, sed saltem ejus hostibus, dimicantes, multa fidei capita ad salutem comparandam necessaria, non autem meras Ceremonias & inanes ritus, ab eorum fermento & corruptelis vindicarent, cujus etiam evidentissimam necessitatem ipsum Concilium Pisanum jam ante LVTHERVUM agnovit. Sic enim Purpurati congregati initio tertiae Sessionis ap. RICHERIVM Hist. Concil. gener. L. IV. P. I. p. 430. decreverunt: *Quod ipsa sancta Synodus non dissolvatur, nec dissolvi possit, quousque universalis Ecclesia in FIDE & moribus, tam in capite, quam in membris non sit reformata.*

§. VII. Male autem ab ARNOLDO coelestis doctrinae veritas ex spuriae Theologiae mysticae principiis, quae  
eo